



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Quòd mors iustorum pretiosa sit apud Deum. cap. vii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

mittit inter pocula laudes ipsius celebrare.

*Mensa Dei
expers nil
à stabulo
differt.*

Mensa, in qua nulla Dei memoria adhibetur, à brutorum stabulo nil differt.

De iustis: & quòd Dominus eos custodiat. CAP. VI.

Iob. 36.



ON recedit à iusto oculus eius: & collocabit eos in victoria, & exaltabuntur.

*Psal. 32.
33.*

Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant in misericordia eius. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, &c.

Multae tribulationes iustorum: & de omnibus iis liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur. **G**

36. 144.

Salus autem iustorum à Domino. Sustentat iustos Dominus. Custodit Dominus omnes diligentes se.

*Pro. 3. 15.
10.*

Habitacula iustorum benedicuntur. Domus iustorum benedicitur. Domus iustorum fortitudo multa. Benedictio Domini super caput iusti. Læticia cum iustis moratur. Lux iustis in perpetuum. Iusti faciunt in diuitiis annos multos. Iustus in læticia & oblectatione perit. Iustus ex laqueo euadit: traditur autem pro eo impius.

Esa. 43.

Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non comburearis, & flamma non ardebit in te.

2. Pet. 2.

Novit Dominus pios de tentationibus eripere. **H**

Didymi.

Iusti quoque in multas calamitates incidunt. Verum illa flagella non sunt, quòd eas non obpeccata sustineant.

Quòd mors iustorum pretiosa sit apud Deum.

CAP. VII.

Num. 23.

Psal. 115.

Pro. 10.

Esa. 57.



ORIA TVR anima mea morte iustorum.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Memoria iusti cum laudibus. In laudatione iusti delectabuntur **I** populi multi.

A facie iniusti sublatu s est iustus: & erit in pace sepultura eius.

Cyrill.

Sanctorum urnas honoramus, ac velut in præclarissima ipsorum virtutis magnitudinisque animi præmium & mercedem, nunquam inter morientem ipsis memoriam repèdimus.

Viros sanctos fidem seruantes honore afficimus, & eos, qui fortitudinis dotibus tanquam coronis quibusdam præclare redimiti sunt, qui que ad extremum vsque spiritum dimicauerunt, & pro Christi religione martyrium obierunt, ac per præclara facinora pietatis causa edita nomen suum illustrarunt.

Basilin.

Psal. 29.

Psal. 115.

*Qui martyr is ossa contingit, ex ea, quæ corpori insidet, gratia sanctitatis cuiusdam particeps efficitur. Pretiosa est itaque in conspectu Domini mors sanctorum eius. **K***

De discrimine Dei & hominum: & quòd multum intersit, peccetne quispiam in Deum, an in homines. CAP. VIII.

1. Reg. 2.



ELI autem erat senex valde, & audiuit quæ faciebant filij sui filiis Israël: & dixit eis, Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama quam audio, vt transgredi faciat is populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?

Quarite